
De Prima ciborū Concoctione
hoc est de Chylif: Disputatio
Medica
Anno 1592 Jngolstadij









ô gef.

Edmundi Hollyngi,

EBORACENI ANGLI,

DOCTORIS MEDICI, ET PROFESSORIS INgolſtadiani,

DE CHYLOSI, HOC EST, PRIMA CIBORVM,

quæ in ventriculo fit, concoctione; pro veteri medicorum ſchola, Diſſertatio.



INGOLSTADII.

Ex Officina Typographica VVolfſgangi Ederi.

ANNO M. D. LXXXXII.





SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. MAXIMILIANO, COMITI Palatino Rheni, vtriusq; Bauariæ Duci &c. Domino suo Clementissimo.

EDMVNDVS HOLLYNGVS, Anglus, se, sua dicat, consecrat omnia.

EST (serenissime Princeps) nostra ætas, si qua alia, ferax rerũ omnium, bonarum, malarum, & quæ inter has ambigunt: quanquàm malo quodam non syderis, sed nostræ voluntatis, feracior sanè malarum, quàm bonarum.

 Omnes

Omnes agunt, vel contemplantur. Qui agunt, vno tantùm modo rectè agunt, & hunc vnum modum ætas nostra eò & videt clariùs, & certiùs sequitur, quò est ab vsu instructior, vndè factum est, vt singulos, qui ante nos aliquid egerunt, nostri homines, multis sanè partibus vincant & superent At contemplantibus etsi vnum in quaquè re verum scopus sit, tamen hoc verum quia sensu non percipitur, sed quæritur intellectu, fit, vt ij dilabantur, in suam quisque opinionem, putentquè id solum verum, quod ipsi inuenerunt, atq; ament, quod inuenerunt, potius vt suũ, quàm vt verum. Volumus, quicunquè sapimus, altè sapere, præ alijs sapere, soli sapere. Ex hac peruersæ voluntatis semente, meßis illa hodiè nouarum opinionum (taceo reliqua mala) surgit, vberiq; spica se spargit per omnium scientiarum agros: sic, vt vndè ante collegimus antiquitatis purum putum fructum, indè nũc cogamur quisquilias corradere & paleas nouitatis.

Sapiunt nouè, in religione Caluinus, in Philosophia Ramus; in alijs scientijs & artibus alij. Sapere, aut contrà Romam Caluinum,

num, aut contrà Academiam Ramum, aut contrà antiquitatem alios, hoc ipsum & si sit desipere: tamen his paulò æquior essem, si quod adferunt nouum, illud exigerent ad rationis normam, & non ad vulgi sensum. Rudia planè dicunt hi nouarum opinionum fabri, & dum defluunt circa sensum tantùm, perdunt rationem.

Huius notæ partim scriptores, partim interpretes non desunt medicinæ nostræ, qui, vt videantur noua mysteria cudere, veterem scholam repudiant, & opiniones protritas illas quidem, & cum vulgi sensu proximè congruentes, ex triuio arripiunt, sequè putant reconditè doctos, si vulgi opiniones, aut peruersitates potiùs vulgo probent. Ego, postquàm me dedi in scholæ circum, aliam cucurri viam. Nam visa mihi semper est omnis, aut via non tuta, quia non trita, aut doctrina suspecta, quia noua. Antiquè sapere, hoc demùm putaui verè sapere. Quarè vt in religione Romam prætuli Angliæ, in Philosophia Academiam Ramo: sic in medicina Galeno veteriquè scholæ postpono, & quamdiu suppetit vita, postponam sectas

omnes, quas recens medicorum schola numerat plurimas. Non tamen hos nouos medicos omninò repudio, quasi nihil commentantes ad normam, sed quod sanum commentantur, id ab insaniæ nænijs, quas interspargunt sanè plurimas, repurgatum, amplexor & recipio. Philosophantur de ventriculo tanquàm de fornace, de calore eius tanquàm de flamma, rusticis quidē argutè, medicis verò ineptißimè, nam medici, rudere hoc esse, nō Philosophari, aut medicū agere, certò sciunt. Contrà hos nouæ medicinæ architectos collegi, et colligo semper quātum perpaucis diei horis, quas schola mihi facit reliquas, possum. De coctione verò ventriculi, quia nō ita pridem quidā sapiunt contrà veterē scholam, volui ostendere, hos nouè sapere, id est, vix sapere, aut certè non satis sobriè. Clarè disserui, & strictim: Clarè, vt laborem, strictim, vt tædium minuam lectori.

Hanc meam opellam, vestræ (Serenißime MAXIMILIANE*) celsitudini cur nuncupem, tres imprimis sunt causæ, vestrum iudicium, mea obseruantia, res ipsa. Prima, vestrum in literis iudicium, exquisitum sanè illud, & mul-*

to stu-

to studio expolitum. Nam serenissimus in hac Academia quamdiù fuit, ea laude publicè, priuatim ipse deseruit, vt huic meæ dissertationi non velim optare alium iudicem, ea voluptate alios audiuit dißerentes, vt mihi iam sedatè differenti, non alium debeam adprecari patronum.

Altera causa est, mea in V. C. obseruantia, elicita plurimis & sanè maximis Serenißimi Parẽtis vestri in me meritis. Excepit exulem, misit in Italiam, aluit liberaliter, posuit in Cathedra, & quasi quadam Clementiæ suæ manu nouus Promethus, me, qui sum, totum refinxit. Qui me optimo Parenti vestro totum debeo, eius optimo filio nisi me totum dedam, impiè certè sim ingratus. Dedo, dico, consecro hujus scripti quadam quasi syngrapha.


Tertia causa, ipsa res. Pugno pro veteri schola. At nulla laus tam natiua, & quasi propria familiæ Bauaricæ, quàm stare (vt loquar cum Tertuliano) contrà nouellitatem. Hinc familiam Bauaricam tonant, Gallia, Hyspania, Italia, & in Italia orbis domina Roma, huiusquè familiæ Principes singulos, & omnes, suspiciunt, quòd arctißimè proximèque

méque vrgent viam, antiquorum vestigijs signatam.

Quare qui infringo nouellitatem, aptè eleganterque videor seposuisse mihi patronum & iudicem, Principem illius familiæ, cuius summa laus, esse hostem nouellitatis. Deus serenissimum, quàm diutissimè seruet, Patriæ, Ecclesiæ, mihi.

Vestræ Serenitati
æternùm deuotus,

Edmundus Hollyngus,
Anglus.



PRÆCEPTOR: DISCIPVLVS.

DISC: Inuitaſti nos ſæpè (Præceptor) quotquot & nunc adſumus, & tuis anteà prælectionibus interfuimus, necnon benignè es adhortatus, vt ſiquid difficultatis occurreret, eſſetuè, quod contrà tuas aſſertiones poſſet obijci: id totum poneremus, daturumq; te operam es pollicitus, ne quis à te recederet, cui abundè ſatisfactum non ſit. Quarè, cum in prælectionibus tuis Anatomicis, de prima, quæ in ventriculo fit, ciborum confectione, multa inſparſeris, non grauia tantùm, ſed etiam dura, & quæ nullo modo concoxero, fretus tua, partim humanitate, partim fide, ea poſiturus accedo, & rogo, qui me exercent ſcrupi, eos tu mihi non inuitus eximas omnes, & euellas ex animo. PRÆC.

Præc. Nolo putes, me aut frustrà vos inuitasse, aut quod officij est mei, grauatè facere. Postulat autem officij mei ratio, nullos vnquàm labores vt subterfugiam, modò sciam, me vestris studijs & vtilitatibus posse inseruire. Age igitur, quæ tibi dura videntur, illa exprome liberè, hæc enim quæ tu dicis dura, ratione tanquàm aromate ita condiam, vt à te non solùm facilè concoqui, sed etiam in succum, bonumquè sanguinem conuerti possint.

Disc. Inter alias concoctionis primæ causas, calorem numerasti, & adiecisti, verissimam esse hanc sententiam, quam rationibus primùm asseruisti, & multis dein medicorũ Philosophorumq;, non modò antiquorũ, Græcorum, Arabum, ac Latinorum, sed recentiorum etiam testimonijs, confirmasti. Hanc ego ipsam impugnabo, probaboq;, tum ex ipsis medicorum placitis, tum alijs rationibus nonnullis, fieri non posse, vt calor, vllum præstet in cibis conficiendis, obsequium.

Atq́; , nè exiſtimes, me, rationes collecturum ex triuio,non ego huc adferam ingenij mei tarditatem, & tenuitatem, ſed ex libro Germanico, fœliciſsimi ingenij magno partu, edam duodecim plus minus argumēta,acuta ſanè illa, & non mea ſolius opinione, ſed & doctiſsimorum quorundam iudicijs,pluſquàm Achillea. Ea (ſi placet) ſigillatim ponam, atq; (vt illorum vires altius perpendas) ex Germanicis Latina faciam, quidq́; ad ſingula reſponderis, tabellis his meis excipiam.

PRÆC. Librum narras, ni fallor, à CHRISTOPHORO FERRIOLO, viro ſanè ingenio ſingulari, eruditione recondita, & in medicinæ myſterijs verſatiſsimo, editum. Is namq; librum edidit, tribus capitibus compræhenſum, quorum altero, hæc tua argumenta,plusquàm Achillea, continentur, aut ſi quis fortè alius, cedò hominem.

DISC. Ipſus eſt; ſed Germani opus, Anglo, idq́; Germanicè ſcriptum, planè tibi putabam ignotum.

Præc. Quò magis aut ille Germanus, aut opus Germanicum, eò faciunt magis ad gustum meum; Nam hac siue lingua, siue gente, si quis externorum, ego certè delector maximè. Verùm non erit mihi ingratum, si tu latinè etiam reddideris rationes illas. Sic enim experiar, an ego, sinè interprete, rectè sim illius mentem assequutus, &, an tu horum argumentorum, siuè vim, siuè notionem penitius inspicias: quorum vtrumq; facilius liquebit, si argumentis his, quasi tuis vtare, neq; integris tamen, sed retextis in syllogismos aut Enthymemata, quia illi docent, hæc premunt.

Disc. Geram tibi morem, non ægrè tamen feres, si interdum pauca ex meis adtexuero, quæ aut vim ipsius argumentis addant, aut quæ ab ipso dicta sunt obscurius, patefaciant.

Præc. Ne teras tempus, sed in re ipsa ponas vestigium, de modo sit quod tu vis. Nam quò es, aut in dicendo clarior, aut in vrgendo acrior, eò tu à me meliorem gratiam inibis.

DISC. Quod vis igitur, pergo. Primi 1.
argumenti vis hæc mihi videtur. Concoctionis ventriculi actio, est Chylificatio, sed chylus per actionem caloris non fit, ergò calor in concoctione ventriculi, nullum tenet principatum.

PRÆC. Noli à me expectare ambages, satis, si negem, affirmem, aut distinguam in singulis propositionibus, quod est negandum, affirmandum, aut distinguendum. Ad maiorem in hoc syllogismo propositionem quod attinet: nego concoctionis ventriculi actionem, esse chylificationem. Imo concoctio ventriculi, ipsa est chylificatio, & è conuersò. Quæ igitur natura coniunxit, illa tu malè oratione disiungis.

DISC. Itanè? cur ergò recentiorum plurimi, inter quos est Archangelus Piccolhominus, & Dominicus Leonus (alios taceo) hæc ipsa non oratione tantùm, sed etiam ratione secernunt?

PRÆC. Qui nimis subtiles, aut esse, aut videri volunt, in grauissimos inter-

dum

dum errores incidunt. Dic rogo, quid interſit, inter calefactionem, & caloris in re aliqua impreſsionem? Atqui, non eſt profectò plus diſcriminis, inter coctionem, quæ ventriculi eſt propria, & chylificationem. Rectius igitur dixiſſes: concoctionem ventriculi eſſe chylificationẽ. Sed mitto hæc. Ad minorem quod ſpectat, ſi velis, per actionem caloris ſolius non fieri chylum, concedo, neq; enim hoc aſſertioni noſtræ aduerſatur. At, ſi caloris actionẽ, nulla ratione contendas, ad chyli confectionem concurrere, nego.

Disc. Poſterius hoc, non ſolùm volo, ſed probo. Chylus fit per reſolutionẽ ſubſtantiæ ſolidorum ciborum in humorem, &c. Sed caloris non eſt, ſolidam ſubſtantiam, in aquam, aut humorem aliquum, reſoluere, ſed calefacere potius & exiccare: proindè, calor quantum in ſe eſt, nihil habet muneris, vel officij, in chylo conficiendo.

Præc. Particula illa (Per) quæ in maiori propoſitione ponitur, duplicem habet

habet sensum, &, id cui coniungitur, innuit esse, vel causam formalem, vel conditionem sine qua non. Dum dicimus, hominem esse hominem, per animam rationalem, formalem notamus causam: Dum ignem, per approximationẽ comburere, causam, sine qua non fieret combustio. Ad eundem modum, propositio illa maior, potest intelligi. Si dicas, chylum à sola resolutione, tanquàm causa formali & adæquata, suam sortiri & naturã & appellationem, id dicis, chylificationem, esse resolutionem tantùm totius substantiæ ciborum solidorum, & præter hanc nihil, de qua notione post videro. Si verò putes, chylum non fieri, nisi resolutio tanquàm condito ad chylificationem requisita præcedat, verum putas, à quo ego caueo, ne aberres latum vnguem. Priorem notionem videbis perspicuè falsam, si chyli definitionem ponas & ponderes. Chylus (teste Galeno) est succus, ita à calore subactus, vt inter siccum & humidum mediam teneat consistentiam:

Chylificatio quid sit.

Chylus.

tentiam: Estquè non simpliciter humor, sed humor quidam, in crassitiem coactus, propriéquè eum succum signat, quem ventriculus, è cibis, per coctionem elicit, & , qui proxima sanguinis materia, existit: Ex hac definitione liquidò quàm apparet, coactionem illam, siue (vt cum schola loquar) incrassationem, ad chylificationis naturam, propius accedere, quàm resolutionem. Etenim quæcunq; in chylum conuertuntur, cogantur, & incrassentur necesse est, vt autem resoluantur, non item. Non enim opus est, vt sorbitiunculæ, iuscula, potiones, & quæ cum his eiusdem sunt rationis cibaria, resoluantur, tamen, nisi coacta, & incrassata, in chylum nunquàm immigrabunt.

Disc. Audi obsecro. Præter sorbitiunculas, iuscula, potiones, & huius ordinis alia, quæ pauca admodum sunt, si cum eis conferantur, quæ solida existunt, reliqua sanè omnia resolutione video indigere, incrassatione autem indigere, non

video:

video. Quare, cum res antequàm in chylum exeunt, plurimæ resolui, paucæ incrassari debeant: certè in chylificatione (si tua ratio firmamentum verum habeat) maior vis erit resolutioni, quàm incrassationi.

PRÆC. Collimas quidem in metam, non tangis tamen: Non enim dixi quæ in chylum vertuntur, incrassari plura, sed incrassari omnia, non autem resolui omnia: vndè planè conficitur, longius abesse à chylificatione, resolutionem, quàm incrassationem. Non omnia resolui prius docui, incrassari autem omnia, (non excipio solida cibaria) faciam vt videas, nisi tu fortè in Philosophicis talpa. Cibus (quod nosti) solidus cumprimùm in os sumptus, manditur, frangitur, exteritur, saliuæ tandem cõmistus, deglutitur, postea, in ventriculo potulentę materię permiscetur, ex potibus demùm & cibis, cõtritis iam, & comminutis, chylus gignitur, non prius tamen, quàm liquatis omnibus, & in vnum confusis, totam substan-

tiam ex cibis & potibus exeuntem, concoctio crassiorem reddiderit, non crassiorem intelligas, quàm solidam ciborum substantiam, sed quàm substantiam, quæ ex aridorum cum humidis, & solidorum cum liquidis, perfusione, facta erat, ex qua scilicet perfusione, chylus materiam generationis accepit.

Disc. Assequi videor quod velis, vis namquè, primùm, cibaria solida resolui, & cum liquidioribus permisceri, ac totam substantiam ex vtrisq; aptam, seipsa per coctionem reddi crassiorem, atque ita concoctionem (vt dixit Galenus) fieri, vi & via incrassationis.

Præc. Tetigisti, non collimasti tantùm. Nam cum cibi nomine censeamus, nō solam carnem, aut panem solum, sed quicquid potulenti & esculenti ingerimus: cum dicimus, cibum in crassitiem prius cogi, quàm in chylū verti: istud dicimus, de cibis liquidis & solidis, in eandē substantiā confusis: ita tamen, vt semper intelligas, prius resolui, resoluenda. Nunquid prætcrea vis? Disc.

DISC. Quid velle debeam in tam clara veritatis luce?

PRÆC. Sed heus. Chylus adhuc non est perfectus. Nam nec resolutio, (cuius tu iniecisti mentionem) nec mea hæc incrassatio, verã chylificationis rationẽ obtinet. Clara res est, & extrà disceptationem. Si enim his vtrisquè, vel harum altera, totam chylificationem definiremus, positis illis, necesse est, & πυλωρὸσ aperiatur, & chylus iam confectus à ventriculo, in intestina deuoluatur, ac tandem ab intestinis in venas deriuetur, siquidem vltimus & proprius ventriculi terminus, est chylus. At ventriculus ipsum adhuc retinet, clarũ ergò est, desiderari prętereà aliquid, ad chyli absolutionem. Istud ego statuo, & cum artis nostræ mystis defigo, post incrassationẽ, esse, in ipsum cremorem, propriam ventriculi qualitatẽ impressam. Cibus nisi huc venerit, coqui dicetur, non coctus. Est enim coctio, conuersio alimenti, in peculiarem & propriã,

cius quod alitur, qualitatem. Vbi verò cibus habuerit illam qualitatem, non cibus amplius dicitur, ſed chylus, aptus iam, qui à iecore tractus, in ſanguinis naturam mox poſſit abire, quod quidem nos in noſtra chyli definitione innuimus, & quaſi digito indicauimus, cum adtexuiſſemus, chylum eſſe proximam ſanguinis materiam. Turiſanus etiam Monachus, hoc ipſum quamuis non eleganter, luculenter tamen expreſſit, cum diceret, *cibum perfectè digeſtum eſſe in ſtomacho, quando eſt aptus, receptioni digeſtionis hepatis, & ſic inde. Proportionem enim quandam (inquit) habent membra naturæ agnitam, penès vitam, ſicuti chordæ in cythara, penès ſonum: & tunc eſt perfectio vitæ, quando vniuſcuiuſque membri virtus, reddit opus, quod ſuum eſt, per comparationem ad alteram, quaſi ciuitas benè diſpoſita. Propter quod & Damaſcenus ait, quòd compoſitio animati corporis, ad figuram conſoni eſt numeri.*

Disc. Longè quidem aliter, explicaſti chylificationis naturam, atque ego puta-

putabam: non habeo tamen, quod contrà hiſcam.

PRÆC. Hactenùs oſtendi, chylificationem non eſſe reſolutionem. Oſtendam modò, ſi eſſet reſolutio, poſſe nihilominus fieri à calore, caloremque, poſſe res ſolidas reſoluere: quod te in minori propoſitione, negaſſe (philoſophus cum ſis) mirari ſatis non poſſum. Quotus enim quiſque eſt, qui non videt, res quantumuis ſolidas, igneæ poteſtatis vi, aut non ſine ipſa, liquari, fundi, molliri? Et nè me fortè putes contemptorem artis, chymiſtæ, ſi non efferrent pedem extrà hanc lineam, haberent hìc, cur gloriẽtur de ſuo auro potabili, de auri oleo, de ferri oleo & aqua, deque rerum penè innumerabilium, in quibus Ariſtoteles cæcus erat & hoſpes, liquationibus. Imò tam altè penetrârunt in naturæ adyta, qui chymiæ ſtudent, vt, vi ignis, ex rebus planè omnibus, liquores facilè, & vſui humano commodè, eliciant. Paracelſi, Lullij, Geberi, Vlſtadij, Euonymi, Braceſchi, Tau-

lada ni, Alberti Magni, Rubei & aliorum, tùm antiquorum, tùm recentiorū libros euolue, videbis ſanè, rem non modò ita ſe habere, ſed tàm multa ab ijs, & tàm magna perfici, vt ipſa penè natura miretur, ſe ab arte aut erutā, aut victam. Nequè mirum hoc tibi videri debet, qui ex Platone didiciſti, ignem, vt exquiſitiſſimæ eſſe tenuitatis, ita maximæ eſſe actionis, penetrare, ſpargi, graſſari, nulliusquè rei, aut loci cancellis coerceri. Ariſtoteles non longè hinc abijt, qui tribuit, calori, homogenea cogere, heterogenea verò ſegregare, atque ſecernere: quibus rebus, quicquid eſt in arte chymica, totum conficitur. Si Ariſtotelem fortè & Platonem, philoſophorum omnium facilè principes, non velis audire, vocabo te ad mulieres, chymiſtarum ſimias: quæ ſiuè furnos extruant, ſiuè inſtruant focos, ſiuè alias nugas nectant, inutilesquè liquaturas exerceant, docent tamen vim ignis, tam clarè, vt philoſophus præ pudore non debeas hic hærere. Quæ cum ita ſint, miraberis, naturam

turam (cuius ars quædam eſt velut æmula) cibos ſolidos calore ſuo primùm liquare, liquatos deindè cogere, coactos demùm in conuenientem naturam conuertere?

DISC. Verè tu quidem, quanquàm philoſophorum vulgus vix vnquàm capiet, tantum eſſe in ventriculo caloris, quantum in chymicorum furnulis.

PRÆC. Quid narras furnos chymicos? Debemus nec nos hoc dicere, nec vos tam craſsè cogitare. Vt enim, alia alijs dēſiora aut rariora, tenuiora aut ſolidiora: ità, his aut illis liquandis ſoluendisque, lentior, vehementior ignis adhibetur. Diſce hoc à chymicis, qui non eandem ignis vim ſemper adhibent, ſed hìc, Mariæ balneo, ibi, equino fimo, alibi, cineribus, aliquando, oliuarum recrementis, rariùs, pura puta flamma vtuntur. A Philoſophis hauſerunt, ignem qui lentior eſt, aut vehementior, quàm pro re, coctionem liquationemque omnem vitiare. Quarè, qui à ventriculo ſolui debent

cibi, cum medioctitatem ſubſtantiæ habeant, nec ita ſolidi vt lapides, nec ita, vt metalla, denſi ſint, mediocritas profectò caloris illos conficiet & cōcoquet, niſi tu fortè ad liquationem in ventriculo, vt quondam Eraſiſtratus, ad elixationem, requiras grandem neſcio quem calorem. Certè ſi tu mihi velis eſſe nouus Eraſiſtratus, ego ero tibi hac parte nouus Galenus, rudemque te & ridiculum dicam, quaſi ventri Aetnam ſubijciendum putes.

Disc. Ne ſim tibi ridiculus, nolo de calore eſſe Eraſiſtratus: Tamen de elixatione (quia inſparſiſti memoriam) non video, cur debeam aut velim non eſſe tibi Eraſiſtratus. Quid? tu ne ergò ventriculi coctionem putas eſſe elixationi ſimilem?

Præc. Non puto, ſed ſcio: quamuis iſtud, fortaſsè non eſt huius loci, fuſiori filo diſſerere.

Disc. Quia tamē elixationis vox, incurrit in noſtrum ſermonem, expedi mihi, quæſo, ſcrupos, qui de hac re me exercent, nec pauci nec parui.

Præc.

PRÆC. Effer, si quos habes, planandos, sed cum conditione, vt elixationis vim, breui oratione prius definias, sic enim erit oratio plenior & planior.

DISC. Elixatio est, vnius qualitatis aut humoris, ex solido corpore, relictis alijs crassioribus & durioribus, quædam expressio, & (vt sic loquar) elicitio.

PRÆC. Quàm longè tu à scopo? Ego volo elixationis naturam, tu mihi obtrudis, nescio quam destillationis definitionem, nisi fortè contendas esse eandem vtriusq; definitionem, atq; hanc ab illa id tantùm differre, quòd, per destillationẽ, humor guttatim cadat, per elixationem verò, copiosè effluat. Si hac hæresi es, prodere te mihi debebas, in definitione. At alius est Aristoteles, qui elixationem definit, concoctionem interminati, quod est in humido, vi caloris humidi. Ac si diceret (pro vt optimè docet Valesius) elixatio, in communi ratione, est concoctio imperfecta: profecta à calore humido, hoc est, à succo calido, in quo res co-

coquitur, cum rerum, quæ elixantur, ſuccus inditus, vel natiuus humor vi ſua interminatus, vel (vt dicam) indomitus, malèquè mixtus, finitur iam, & terminatur. Quò fit, vt in omni elixatione, duo ſint perpetua. Primùm eſt, vt humor rei elixatæ extraneus, à centro ad circumferentiam, hoc eſt, ex re ſolida elixata, in liquorem elixantem trahatur: Alterùm, vt non modò humor ille attractus, terminetur ad alium ſubſtantiæ modum, ac qualitates ſæpè, virtutesquè proprias amittat, & fiat ex tenui craſſus, ex acerbo dulcis, &c. verumetiam vt internum, quod permanet, humidum craſſius fiat, & ſicco arctiùs permiſceatur. Ex hac definitione Ariſtotelica, non erit ſolummodò facilè, elixationem à deſtillatione, infuſione, aſſatione, maturatione, & aliis omnibus medicamenti, alimentiquè parandi, ac ſubigendi modis, ſecernere: verumetiam explicare, qua ratione, veteres, concoctionem ventriculi, elixationi ſimilem eſſe, dixerunt. Nam, vt

elixatio

elixatio, concoctio quædam, imperfecta licet, exiſtit: ita etiam, & quæ in ventriculo fit ciborum confectio, concoctio eſt, perfecta tamen. Præterea, quemadmodum, elixatio fit à calore humido, ita concoctio, quæ in ventriculo eſt, à calore innato, & proprio ipſius ventriculi, qui humidus eſt, cietur. Ita tamen, vt elixatio, non ſit futura plena & perfecta, citrà potulentum liquorem, qui facit, vt cibus coctionem potius, quàm coinquinationem patiatur, aut (quod Galenus enucleatius dicit) elixatus potius cenſeatur, quàm toſtus. Omitto alia, quæ ex hac definitione poſſunt elici, vel, quià puto tibi iam factum eſſe ſatis, vel, quià nolo ab incæpta diſceptatione longiùs abire. Fac ergò, redeat tua ad priores carceres oratio.

DISC. Oſtendiſti qua ratione fiat elixatio, qua, concoctio ventriculi elixationi fiet ſimilis. Illud nunc exprome, ſi concoctionem ventriculi elixationi vis eſſe ſimilem, cur, quæ per elixationem

ex re aliqua eliciuntur, non eadem ſe ratione habeant, qua, quæ per concoctionem ventriculi perficiuntur?

Præc. Illud non erit explicatu difficile, ſi intelligas, aliam eſſe orationem, dicentis, res aliquas eſſe inter ſimiles, aliam, dicentis, eſſe eaſdem. Nam quæ ſimiles ſunt, conueniunt illæ quidem alibi, diſsident alibi: quę autem eædem, omnia debent eſſe pares. Examinemus tamen (ſi lubet) has, quas putas effectorum diſſidentes rationes, &, quid habent, ad infirmandam noſtram aſſertionem, momenti, videamus.

Disc. Inprimis, qui, per elixationem, ex re aliqua, humor elicitur, heterogeneus eſt: Chylus verò, qui per concoctionem ventriculi, homogeneus. Prætereà, chylus, eſt miſta, perfectaq; ſubſtantia, induta formam nouam, tam diuerſam à forma corporum, ex quibus eſt compoſitus, vt diuerſum ens per ſe conſtituat, in prædicamento ſubſtantiæ: at natura liquoris, qui ex re elixa educitur,

non

non differt, à natura illius, quod coquitur, nequè etiam res elixa alia eſt, quàm fuit, antequàm elixatur, aut dum elixatur.

PRÆC. Satis reſpondero hîc, ſi nihil reſpondero, cum tu ſanè nihil adferas ad rhombum: quia tamen non rectè viſus es intelligere, quæ ſuperiùs de coctione & elixatione dixi, cogor eadem rurſùm repetere. Elixatio, vt ordiar ab ouo, duo tantum in ſe continet, vnum, liquoris ex re elixa per humorem calidum extractionem, alterum, liquoris, hinc extracti, indè inſiti, finitionem, & quaſi domationem. Hæc duo ita ſunt de elixationis ratione, vt ſi abſint, elixatio abſit, ſi adſint, adſit elixatio. Id verò quod elicitur, ſiuè homogeneũ ſit, vel heterogeneum, ſiuè nouam formam induat, vel veterem retineat, ſiuè albeſcat, vel nigreſcat, ſiuè aqueum ſit, vel aereum, &c. ad elixationis rationem non omnino ſpectat. De chylo igitur homogeneo quod obijcis, & de noua forma inducta, iſtud ab elixatio-

ne

ne non eſt, ſed à coctione, quæ (vt ſuperiùs dixi) non modò liquat & liquorem eductum inſitumquè incraſſat & finit, qua parte fateor elixationi ſimilem, ſed rem etiã, ex ſpecie imperfectiori, in perfectiorem ſpeciem, quaſi filo educit.

Disc. Ænigmata ſunt hæc, & mera myſteria. Dixiſti anteà concoctionem ventriculi, eſſe elixationi ſimilem, elixationem verò, ex Galeni ſententia, eſſe concoctionem: nunc verò conuerſa oratione, ita implicas, non explicas rem totam, vt ne Apollo quidem aut Oedipus, me expediam, huius Ænigmatis inuolucro.

Præc. At ego te expedio, idq; verbulo vno. Dixi concoctionem ventriculi eſſe elixationi ſimilem, vt intelligas, nihil eſſe in elixatione, quod, non ſecundùm quandam annalogiam, in ventriculi concoctione reperiatur, nam, ventriculus dum concoquit, elixat, hoc eſt, per humorem calidum, exprimit humorem è re elixata, expreſſumq; tandem finit, & termino

termino includit, duabus enim, conditionibus illis elixationem definiui. At concoctio vlteriùs progressa, inducit nouam formam, aliaquè multa facit, quæ, elixationis non possunt vllo modo censeri. At, cur (inquis) elixatio ab Aristotele dicitur concoctio? Aristoteles, vt omnia complecteretur, duplicem posuit concoctionem, perfectam hãc, illam imperfectam. Imperfectam, vocat asatio-nem, elixationem, & suppurationem, scilicet, quòd quam coquunt rem, non perducant ad perfectiorem speciem, sed ad alium tantùm substantiæ modum, modus autem (quod nosti) non mutat essentiam. Neq; tamen, quod dixerunt veteres, coctionem esse similem elixationi, est omnino falsum, quia similem dixerunt, non eandem.

DISC. Elixationis naturam, atquè rationem iam videor totam assequutus, argumentum igitur iam alterum, quod pugnat, concoctionem ventriculi à calore non fieri, videamus an expugnet.

pugnet. Argumenti ſumma hæc eſt. Si calor magnam inſitamquè vim adferret, ad concoctionem ventriculi, ſequeretur, in toto vbiquè corpore, & in ſingulis ſeparatim partibus cibum poſſe concoqui, imo in iecore, venis, arteriis, præſertim verò in corde, aptius concoqueretur, quàm in ventriculo, Rationem peto ex medicis, qui ventriculum ſentiunt, & conſentiunt omnes, calorem ſuum mutuari, partim ab hepate, tanquàm vas igni ſuperpoſitum ab igne, partim à corde, perenni illo & perpetuo naturalis caloris fonte, nec ſanè abſquè cauſa: cor enim vt dicitur vulgò, ſic verè eſt; caloris fons. Cum igitur cor & hepar, concoctionis, quæ ventriculi eſt, ſint cauſa, debent certè illa cibos concoquere, eò magis, quò eſt maior illorum, quàm ventriculi, calor: hoc tamen non ita ſe habere, ſtatuunt & defigunt omnes, qui benè ſunt in Phyſicis verſati. Trita enim ſententia eſt, quòd ventriculus quidem, ſua ipſe vi poſſit concoquere, quantum alimenti eſt

ſatis

fatis toti nutriendo corpori,tamen,ſi alimentum ventriculus non benè concoxerit,ſanguis,qui ex vitio labeq; concoctionis fluet,inficietur huius concoctionis tabe, eò fœdior, quò peior in ventriculo concoctio. Iſtud eouſquè eſt verum, vt qui in corde, hepate, aut toto corpore, totus calor manat,minimam,primæ cõcoctionis labem, ſordemque non poſſit corrigere, ne dum tollere & penitus abſtergere.Hinc fit illa orationis ſumma,calorem,nullo modo eſſe,cõcoctionis,quæ in ventriculo eſt,cauſam.

PRÆC. Mallem te ſubſtrictum,quàm fuſo hoc & perpetuo orationis ductu expatiantem. Verùm nè videar philoſophum velle,Rhetorem cõtemnere,quos conglobaſti errores, & vno hoc confuſæ orationis faſce,conſtrinxiſti,eos ego facilè euoluo omnes. Principiò, vẽtriculum accipere ſuum à iecore calorem,eſt oppidò quàm falſum. Vt cæteris partibus,ſic ventriculo natura calorem ſuum indidit & inſeuit. Nec facilè iſtud negaueris, niſi

 velis,

velis, testimoniorum multitudine, tanquàm grandine, obrui, hic tamen calor augetur quodammodo, calore adiacentium partium, iecoris, nimirū, lienis, cordis, &c. Deindè, ventriculus non ideo lebeti similis esse dicitur, quòd, vti lebes, nihil caloris obtinet, nisi à subiectu ignis, ita, ventriculus, nullum calorem habeat, nisi à iecore: sed quià, quemadmodùm lebes, res multas complectitur elixandas, ita, ventriculus, multorum ciborum coctioni, elixationiquè destinetur, &, quemadmodum lebes calorem accipit ab igne, ita, ab hepate, corde, liene, tanquàm quibusdam focis circumpositis, ventriculus calorem mutuetur, licet nō vt ille totum. Nam si velis, ventriculi cum lebete, parē omninò rationem: vt lebeti ignem, ita ventriculo subijce hepar, istud est euertere naturæ fabricam, quę fecit, non vt ventriculo iecur subijciatur, sed contrà, quasi insideat summam ventriculi partē. Prætereà, ventriculus viuit, habet ergò in se calorem, (vita enim calore cōtinetur) se-

cus

cus de lebete, experte scilicet vitæ, quià caloris. Sed cogitatione, quæso, atquè animo fingas, leberē sua natura calidum. An ideo desinet esse lebes, quià est natura calidus? haud facilè crediderim. Sit igitur ventriculus, quasi lebes natura sua calidus, similis, quòd teneat, & coquat: cętera dissimilis. Est hic error haud exiguus, quem argumenti tui tegumēto, tam subtiliter inuoluisti, vt hominis nō acriter videntis, aciē facilè subterfugisset. Cor dicis esse caloris naturalis fontem, verè tu quidē, si verè sentias. Vt verè sentias, cogita cum medicis, duos calores, eosquè singulos naturales, hunc influentē à corde, illum quibusquè partibus insitum. Quarè, quod sumis in argumento, calorem qui in corde nascitur, perficere coctionem, falsum id est. Hæc enim functio, est propria caloris, qui ventriculo est insitus. Cui (inquis) rei, influens calor? vt insito veniat subsidiarius, & cum debilior est, quasi ad supplementum. Influens autem dicitur, quòd ex

corde influat, ſubſidiarius inſito calori, quem vnaquęque pars corporis ſuum habet & proprium: ita vt influens dicatur, non quâ inſidet in corde, ſed quâ ex corde emanat, ſubſidio alijs partibus. Argumētum ergò tuum, probat, calorem cordis, quem influentem diximus, eſſe coctioni, vt alijs aliarum partium functionibus, adiutorem, non authorem. Quid premis de calore adiutore? cum nos contendamus de authore? fallis profectò, & pro allijs obtrudis nobis cepas. Error dein eſt, quòd cor & hepar dixeris eſſe cōcoctionis ventriculi cauſas. Galenus, vt omnia, prudēter dicit, particulas animalis, ſuam quamquè edere actionem, nequè opus eſſe, vt actio, huius propria, per aliam partē, tanquàm inſtrumētum, conficiatur. Si vnam conceſſeris partem, eſſe alteri inſtrumentum, ad edendam functionem ſuam: illius quæ edit, functio iam non dicetur propria, ſed huic cum illa communis. Quarè, cum chylificatio, ſit propria ventriculi actio, erit in ipſo ventriculo, chylificatio-

nis

nis causa propria. Nequerefert, quòd cor, hepar, reliquæ partes, ventriculo veniant adiumento, conficitur indè, esse has, causas, non principes, sed adiutrices, quod suprà clarissimè disserui. Hactenus tui argumenti partes singulas tentaui, tota compago quid habeat firmi, aut potius infirmi, videbis clarius, si explicuero, cur coctionis causa, in ventriculo, sit calor minor, maior autem in alijs partibus nō sit.

DISC. Putabam, te quærere potius, quàm inuenire exitum rei: verùm, si istud explices, vrgebis ipsius difficultatis vestigium.

PRÆC. Facilè istud explico, & clarè, per similitudinem. Animæ, & caloris natiui, haud dissimilis est ratio. Noli hic tergiuersari. Nam, cum calor natiuus, animæ, in edendis functionibus, sit proximum instrumentum, ratio vult; & natura sanè præscribit, vt ille, propiùs vim animæ exprimat & repræsentet, quàm quicquid est in rebus aliud. Vide iam quid consentiant. Anima tota est in to-

to corpore,& in ſingulis partibus tota, tamen,non omnem , in omni parte , actionē,ſed in ſingulis partibus , exerit & exercet ſingulas: ad hanc formam , calor natiuus, per omnem corporis partem fuſus, non omnem in omni parte functionem obit,perge verò. Anima , ad aliam atquè aliam actionem, alia atquè alia vtitur facultate, hac ad aſpectum , illa ad auditionem,alia ad guſtationem : ſic calor, quaſi facultatum varietatem hanc imitatus,vt varius agit, ſic varius dicitur,in aure auditorius,in oculo viſorius,in hepate ſanguificus,& in ventriculo chylificus. Si quæras,cur,anima aut calor,non æquè in omnibus partibus omnem functionem obeant? Reſpōdeo cum omnibus, ſiue medicis, ſiue philoſophis , ex temperatione & conformatione id eſſe partium. Hæc huic,illa verò pars, aptior eſt illi functioni,quòd hæc hanc,illa habeat illam temperaturam & conformationem. Temperiem , intelligo , analogiam elementorum , non hanc modò patentem , ſed laten-

latentem etiam illam, quæ recondita dicitur, & puncti. *Hæc* (teste Galeno) *facit, vt quælibet animalis pars, edat actionem, ab aliarum partium actionibus, tàm diuersam, quàm sunt, ipsæ inter se, partes diuersæ.* Conformationem autem dico, concinnitatem eam, quæ ex sua cuiusquè figura, multitudine, magnitudine, positu, & cum alijs copulatione, emicat. His itaq; diligenter à te cõsideratis, vt in alijs partibus, sic in ventriculo, haud difficulter & ipse intelliges, & alijs demonstrabis, qua ratione, non modò solus ventriculus chylum faciat, solum hepar, sanguinem, sed qua etiam, aliæ corporis particulæ, singulæ singulas edant actiones. Facilè etiam reddes rationem, cur, nec errores in prima coctione commissi, à secunda, nec in secunda, à tertia, corrigi possint. Quod aliundè sanè non euenit, quàm à partis constitutione, quæ conditiones ac proprietates ita vni parti adfigit, vt alteri impertiri non possint.

DISC. Placent, quæ dicis, si paulò

tantùm clarius, dicas de occultis temperaturis, quas multi non admittunt, nonnulli certè irrident.

Præc. Imperitus eſt, qui non admittit, ſtultus, qui irridet. Verùm, quià fuſior eſt ea tractatio, quàm vt à nobis poſſit abſolui paucis, in aliud ipſam tempus reijciendam puto. Perge tu modò qua cœpiſti via.

3. Disc. Conſenſio eſt omniũ, qui quidem in philoſophicis aut medicis nomẽ habent, concoctionem, aut omninò, aut maximè, in fundo ventriculi fieri, fundus autem ventriculi, caliditatẽ nullam habet, plenus ille frigidæ & limoſæ ſubſtantiæ, quæ membranis adhæreſcit. In ſuperiori ventriculi parte (quę eſt cordi, hepati, lieni & diaphragmati vicinior) maior reperitur caliditas. Hinc liquidò quàm apparet, non calorem, ſed aliud, eſſe coctionis ſeu chylificatiõis cauſam, niſi fortè contrà omnes, ſtatuas, chylum in ſuperiori ventriculi parte, & nõ inferiori; fieri, nam ibi eſt caliditas, hìc frigiditas & limoſitas.

Præc.

PRÆC. In fundo ventriculi, verè tu dicis concoctionem fieri, quid tùm posteà? Frigidus, inquis, est. Hic te volo presentem, aliud enim est, fieri concoctionem in ventriculi fundo, aliud à fundo. In fundo fit, quia alimentum in ore paratum, & mollitum, non quiescit, donec ad fundum venerit. Hìc concoquitur, quià quiescit, vel certè dum quiescit. Sed estnè, excipis, ventriculi fundus frigidus? Minimè, habet enim eandem cum reliquo ventriculo substantiam, estque par fundi & reliqui ventriculi conditio, imo carnosior cum sit quàm reliquus ventriculus, calore videtur instructior, vndè, non tantùm in ipso, sed ab ipso etiam, fit concoctio, licet non tota. Cumprimùm enim cibus, fundum insederit, cum statim ventriculus, totus totum complectitur, & omni ex parte, supera, infera, tanquàm fascia, presṡissimè cõstringit, vt ipsi circumijci & omninò adhærescere videatur. Nihil in ventriculo puta inàne, si tamen conuenienter sese habeat, & secun-

dum naturam. Ponis inane? Cibus tunc in tanta capacitate, hùc illùc fluitans, nec lateribus ventriculi arctatus, concoqui sanè non potest. Hinc, siue parum, siue multũ, ventriculo continetur, eius semper sinus plenus apparet, tunicæq;, quos continent cibos, arctè complectuntur: Id quod in vtero, in vesica, in alijs corporis cauis etiam vsuuenit. Cum igitur, non minus concoctio, quàm alia actio omnis fiat per contactum, cibusq;, æquè à fundo, ac ab alijs ventriculi partibus, contingatur, ab ipso etiam ventriculi fundo, ratione caliditatis, quam habet, concoctionem, in parte, absolui negemus? Ad partes circumiectas quod spectat, dico, eas esse ita aptè positas, & dispositas, vt non vnius magis quàm alterius ventriculi partis, ipsiusq; adeò totius, calorem innatum foueant, & conseruent. Nam vt ventriculi parti dextræ, superiori, anterioriq; iecur incubat, ita parti sinistræ lien, inferiori, adiposum omentum adhærescit, posteriori insternuntur, vena caua, arte-

ria magna, pancreas, atq; arteriarum tandem propagines, à corde exeuntes, ventriculi omni parti intexuntur, &c. Frigida illa & limoſa ſubſtantia, quam fundo ventriculi affingis, & ipſius membranis adnaſci affirmas, aut nihil eſt, aut cruſta ſola eſt, quæ, ex excrementis tertiæ concoctionis ipſius ventriculi genita, non ſolum obſidet fundum, ſed totum interiorem ventriculum obambit. Hanc, ſiuè limi, aut fimi nomine cenſeas, ſiue frigidã aut calidam dicas, noſtra nihil intereſt, ſua enim, neq; qualitate, neque ſubſtantia, concoctionẽ aut promouet, aut prohibet. Cui ergò vſui cruſta illa? Impedit (quod rei anatomicæ peritiſsimi aduerterunt) ne ex frequenti, potuum & ciborum, quos ſæpe dimittimus duriores, adhæſu, interior ventriculi tunica, vel vlcere, vel callo, obducatur. Illa enim, ſi frigida eſt, prius, quàm calor ventriculi ad cibos pertingit, incaleſcat, neceſſe eſt. Quod ſi præter cruſtã hanc aliud quidpiam in ventriculo exiſtit, ventriculus quidẽ non rectè ſe habebit. (Nec

Nec obſtat, quòd, in hominis mortui ventriculo, humor fortaſſè aliquis, pituitæ non abſimilis, inueniatur, quià vbi vita excidit, concidunt mox omnia, ſpiritus denſantur, denſati in aquam exeunt, aliaq; multa fiunt, quæ corpori vigenti, & viuenti, nec accidere poſſunt, nec adfingi debent.

Disc. Beaſti me certè, qui res alioqui difficillimas ita neruosè & clarè diſtinguis, cauebo igitur poſthac, ne faceſſam tibi, qui me beas, moleſtiam non neceſſariam, & ſubſtringam propterea, quæ reliqua ſunt argumenta, in formæ preſsioris quendam quaſi modum. Quid te teneo?

4. Necto hoc modo. Si, concoctionis in ventriculo, cauſa ſit calor, maiorem calorem, melior conſequetur concoctio. Explodo eum qui hoc concedat. Vident enim, qui rectè vident, quo maiorẽ ventriculi, iecoris, aut reliqui corporis calorem, eo concoctionem lentiorem & fœdiorem.

Præc. Concoctionem à calore perfici

fici cum dicimus, calorem intelligimus, non quemcunq;, ſed naturalem, temperatum, & cuiuſuis partis proprium. Hinc Ariſtoteles coctionem definit, perfectionem ex oppoſitis paſsiuis, à naturali & proprio calido, & Galenus vbiq; inculcat, à moderato calore, omnem coctionem perfici, ipſamq; per moderatè calida, vel medicamenta, vel balnea, vel fomenta iuuari. Calor namq; eſt coctionis author, non quidem quâ calor, ſed quâ moderatus. Moderatus, alius alijs hominibus, alius alijs eiuſdem corporis partibus, ità, vt calor hic quandam obtineat (vt loquuntur medici) latitudinem, quam ſi egrediatur, fiatq; maior: tantum abeſt, vt perfectioris, vel coctionis, vel alterius actionis, ſit cauſa, vt potiùs, quæ contingit omnia, deprauet & inficiat, intrà autem limites & cancellos ſuos ſi conſiſtat, quò magis ad ſymmetriam accedit, eò meliùs agit & perfectiùs.

DISC. Video, quid dicis. Id tandem expedi mihi, quid inter calorem abſolutè

dictum

dictum intersit, & illum, quem tu vocas naturalem.

PRÆC. Calor naturalis, dupliciter ab altero distinguitur. Primùm, hic, cum siccitate, vel humiditate, potest æquè coniungi: ille, semper insita vi sua humescit. Nam cum caloris naturalis munere, corpus alioqui frigidum, quantum est concalescat: necesse est, vim ei inesse calfaciendi valentissimam, quæ si pariter siccitatem comitem haberet, nos impendiò adureret, non vrit autem, necesse igitur est, humoris temperatione perfūdi.

DISC. Humor igitur iste, de quo loqueris, ingrediturnè propriam caloris naturalis rationem, ità, vt si absit illa, hic necessariò corrumpatur?

PRÆC. Omnino. Nequè enim, sine humiditate, calor naturalis esse aut cogitari potest, vndè Aristoteles *inest* (inquit) *in semine omnium, aliquid, quod facit, vt fæcunda sint semina, videlicet calor, isq; non ignis non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur.* Galenus quoq; *substantia*, ait, *caloris innati aerea est, et*

aquea. Id quòd ſenſiſſe videtur etiã Hypp. dum, *in aphoriſmis, infantes*, dicit, *plurimum habere caloris innati*, non alia quidem de cauſa, quàm quòd ſubſtantiæ aquoſæ & acreæ, (quæ innati calidi propria exiſtit) plurimum obtineant.

DISC. Mira hęc poſſuntnè eſſe vera? Si enim calor naturalis humiditatē ſemper habeat adiunctam, cur non putas putredinis potius cauſam, quàm coctionis?

PRÆC. Cum Ariſt. & alij, calorem humiditati coniunctum, aſſerunt eſſe putredinis authorem, illi calidum humorem intelligunt, immoderatum, externeq́; adſcitum, non autem hunc moderatum, quem innatum, & naturalem appellamus. Etenim ſi natura quę, cuiuis rei indidit, ſui conſeruandę vehementē motum, calorem, ſui vaſtatorē etiam inſparſiſſet, non matrem ſanè illã, ſed nouercã, eamq́; ſtultiſsimarũ abſurdiſsimã, & abſurdiſsimarum ſtultiſsimam, appellarē.

DISC. Acquieſco hìc, ſed quòd dixeras, aliud eſſe inter duos iſtos calores diſcrimen, iſte me ſcrupulus adhuc exercet.

PRÆC. Quarè exercet? Vide rem claram. Calor abſolutè dictus ſola eſt qualitas: at calor naturalis (vt pluribus in locis Galenus docet) non eſt pura qualitas, ſed ſubſtantia quædam calida, quæ cauſa eſt, vt appelletur, non caliditas, aut calor, ſed calidum naturale, cuius nominis cõplexu, non ſolum calorem, ſed etiam ſubiectum illius incluſum vides. Quià verò ſubiectum, eſt corpus, de prædicamẽto ſubſtantiæ, ſpiritus nimirum, ideò naturalis hic calor, interdum connatum corpus, nonnunquàm autem, natiuus ſpiritus, appellatur. Idem namq; eſt, ſpiritus calore quodam perfuſus, & calor idoneo conuenientiq; humido cõtent9, quod illius ſubiectũ eſt, & indiſſolubilis materia.

DISC. Clara ſunt, quæ dixiſti omnia, ijs tamen ne omninò aſſentiar, facit mos à noſtris practicis receptus, qui, tàm in calida, quàm in frigida ventriculi intemperie, Piper, Zinziber, Galangam, Garyophyllon, aliaq;, cùm ſimplicia, tùm compoſita, quæ igneo & extraneo calore pol-

lent,

lent, ægris præſcribunt: quòd ſanè aut non facerent, aut facere non deberent, ſi quæ dixiſti, vera ſint. Noſti, quàm periculoſa, ne dicam, pernicioſa res ſit, ſi calor naturalis, non modò non refrænetur, ſed vno maximùm gradu intendatur. Noſti prætereà, Nicholaum Taurellum, ex Rondeletio referre, calorem aromaticis iſtis nonnunquàm extingui. Dicit autem Rondeletius, *puellas non paucas, in frigidam ventriculi intemperiem incidiſſe, quòd (vt pallorem ſibi concilient) Zinzibere frequentiùs eſſent vſæ*. Rectè nè an ſecùs noſtri practici faciant, tu me doce verbulo. Nam ſi illi benè faciant, malè tu quidem dicis, & doces.

PRÆC. Non adducar, vt credam, vllum ex ijs, qui medicinam faciunt, adeò eſſe imperitum, vt neſciat, medicamenta eſſe, quæ commemoras. A medicamentis, corpus alterari & affici, quis tandem ex plebe ignorat? Alterationem, eſſe mutationem, ex vna qualitate in aliam, latere Philoſophum, non poteſt. Eam

qui corpori non ægro adhibet, carnifex est, non medicus, adhibet autem medicus, si medicus, per contraria. Contrà igitur Philosophiæ, & medicinæ normam facit, qui, ventriculo benè habenti, quæ dicis, adhibet, sunt namq; illa, vt ventriculo ægro remedia, sic sano venena. Neq; solum sanum priuo his medicinis, sed omnem etiam ægrum, nisi cui ægrè est ex frigiditate, aut sola, aut humiditati cõiuncta. Quod tu etiam ipse facillimè cognosces, si illorum, qui praxim medicam literis tradiderunt, monumenta diligenter euoluas, quæ morbis & partibus, suam cuiq; medicinam scribunt, & præsctibũt, vt quod illi huic disijciendo morbo statuunt, alteri tu ineptè adhibueris.

DISC. Tu quidem, cum paucis distinguis ista, sed medicorum vulgus, ventriculo, calido, frigido, obtrudit promiscuè omnia, quæ dixi.

PRÆC. Quid hic erroris demum putas? Homines, in frigidam quàm calidã, in humidam quàm siccam, ventriculi intemperi-

temperiem, ſæpius incidunt, nihil vt ſit miri, ſi medici ſæpius his, quàm alijs vtantur medicinis. Quarè, nõ eſt, quòd medicos aut calumnieris propterea, aut vituperes. Non enim Rondeletius, Taurellus, & alij viri doctiſsimi, medicamentorum vſum moderatum & conuenientem, ſed intempeſtiuum & importunum potiùs ipſorum abuſum, inſectati ſunt.

DISC. Hæc non dico, vt inſecter, ſed conſector, vt capiam, quid peccant, ſi fortè peccant, iſti, qui medicinis prædictis, ſic ſiuè vtuntur, ſiuè abutuntur, vt Zinziber integrum, & in ſua ſubſtantia, obijciant facilè, Zinziberi infuſo in hauſtu, maximè ſudorifero, grauiſsimè interdicunt.

PRÆC. Rectè quidem illi, hoc prohibent, illud præcipiunt. Nam quæ ſudorẽ euocant, calida, non potenter calida eſſe debent, Zinziber autem (teſte Ægineta) potenter calfacit ipſum per ſe, potentiùs verò ſi maceretur, cum maceratio ſubtiliſsimam exprimat, tenuiſſimamquè

eius vim,quæ& citiùs penetrat & impenſiùs calfacit,contrà,in tota ſimul ſubſtantia, pars craſsior tenuiori permiſta, illius actionem retundit & infringit. Hinc medici, cum Sena, Agarico, Turbith,& alijs medicinis Catharticis, Zinziber infundunt, vt quæ imbecillæ, ignauæ, ac pigræ ſunt ipſæ in ſe, huius permiſtione excitentur, &,vt, quæ craſſioris materiæ res, ſuo preſſæ pondere, in vno facilè loco hærent, Zinziberis tenui acriq; vi altiùs in corpus longiuſq; propellantur. Verùm hæc ad inſtitutam à nobis diſputationē, aut omninò nihil,aut parùm facere vidētur. Quarè vrgeamus, ſi placet, rem noſtram : mittamus alienam.

Disc. Placet, quia id tibi placere vi-
5. deo, purga modò mihi aures tuas, non arrige tantùm : premo certè. Calor hanc habet naturam, vt humorem omnem imbuat colore, aut nigro,aut alio, qui ad nigrum accedit proximè,pro ratione humoris, hoc aut illo modo affecti. In vrinis vide iſtud,quas ex aqua egreſſas cruda,

nunc flauas, nunc rubeas, sæpè subnigras, aliquandò nigras, aut alio colore fœdas, alius atq; alius calor efficit. Sed in cõcoctione ventriculi, contrarium vsuuenit. Cibi enim, etsi natura ipsi sua, nigro, vel alio colore sunt, à ventriculo tamen tracti & tacti, albescunt, eò magis, quò concoctio est melior. Calor ergò cum chylo, & chylus cum calore, nihil planè commercij habebit.

PRÆC. Quod schola vsurpat, falsum non posse nisi falso probari, id in tuo iam argumento video verissimum. Quicquid enim dicis, id vel falsum est, vel falso nititur. Calorem vis tinctorem esse rerum. Quid? calorem ex colore, aut colorem ex calore colligis? Ineptè, ne dicam grauius. Nam color calorem aut semper, aut nunquàm sanè prodit. Pone mihi ob oculos, salem & niuem, vtrumq; album, cur non vtrumq; frigidum? Vide mihi postea picem & opium, vtrumq; nigrum, cur non vtrumq; calidum? Despice nunc (sequar te omni via) duas rosas, hanc albam, il-

lam, rubram, & si tu verè, hanc calidam, illam frigidam: Sed omnes omnem rosam ponunt frigidam. Quarè cum non euadis, vt te non statuam falsò dicere: id saltem vita, vt te non dicam pertinaciter sentire. At de vrinis, rogas quid censeam, & qui censeam? planè quod de alijs, ijs calorem non addere colorem. Putas tu, aquam puram putam, esse materiem vrinæ. At aqua puta pura, quicquid bullit ab igne, nunquam suum colorem amittit. Externum fortassè istud. In febribus, hoc est, in flamma coloris, vide vrinas ipsas, quâ albas, quâ aqueas, nulloq; colore tinctas. At chylo vnde color? certè nec à frigore, nec à calore. Id te doceo non meis sed Petri Hispani, doctissimi viri, verbis. *Prior*, (inquit ille) *causa est, quia prima digestio, est materialis ad omnes alias digestiones, cum præparet ipsis materiam: similiter color albus, est color materialis, ad omnes alios colores. Propter hoc habuit chylus album colorem. Altera causa est, à parte causæ efficientis, quoniam chylus generatur in stomacho,*

stomacho, qui est albus, & generans derelinquit vestigium suum in re generata. Sic hepar rubificat quia est rubeum, &c. Ex quibus ipsius verbis & ijs quæ superiùs diximus, vides, quàm nihil concludat argumentum hoc tuum, quia tamen hac non non successit, alia si velis experiare via.

DISC. Scrobem huic viæ video remotam, at spinæ in alia via me pungunt, & tribuli. Homo, rerum quas Deus molitus est, omnium est temperatissimus, alitur ergò temperatissimo. Nam quæ excedunt qualitatibus, medicamenta sunt, non alimenta. Sed ex cibo, in ventriculi sede coctoà calore, non potest chylus ita temperari, vt calor calori non addatur (quòd enim calore perficitur, necessariò calidius fieri debet) At in prima coctione, cibus fit ipse se calidior, in secũda ergò coctione, & tertia, fiet calidissimus. Calidissimum & temperatissimum nemo dixerit: aut si tu fortè dicas, prome nobis, qua vi & via, ex cibo intemperatis- 6.

ſimo, ſanguis temperatiſsimus, aut temperata caro gignitur.

Præc. De homine temperatiſsimo, & eius temperatiſsimo alimento, verè tu quidem, ſed non ad rem. Non enim mox eſt alimentum, quia cibus. Cibus ſumitur, fit alimentum: ita vt cibus non ſit alimentum, niſi ſubactionis & temperationis quadam quaſi manu fiat. At finge cibum temperatiſsimum, non ſubactu corporis, ſed naturæ ſponte. Fruſtrà fingis, quod nec natura vult, nec ars poteſt facere: aut extrà corpus ſi fieret, corpus, quas ad mutationem cibi in alimentum adfert, vires & vices non ſubiret.

Disc. Quid narras? Cibum non vis eſſe alimentum? certè contra communem & ſentiendi & loquendi morem vis. Omnes enim cibum dicunt putantquè alimentum.

Præc. Non malè dicunt, non malè putant, ſed ex ſenſis veris, tu falsò colligis. Alimentum, tria ſignificat, cibum, ſanguinem, & id, quod rei alendæ appoſitum,

ſitum,aut iam actu alit,aut proximè alet. Hinc Hyppocrates *& futurum alimentum, & veluti alimentum, & verè alimentum dicit.* Quod dicit alimentum verè,id verè temperatiſſimum, & naturæ humanæ proximum. Malè putas huius ordinis eſſe, aut cibum, aut molem ſanguineam, hoc eſt, humorem venis incluſum. Quod medici omnes ſermone vſurpant, & tu ſumpſiſti tuæ rationis firmamentũ, ſcilicet, alimentum debere eſſe temperatiſſimum, innuunt illi, & cape tu, de verè alimento, non de cibo, futuro alimento, nec de humore venis incluſo, veluti alimento, vides iam, te fingere ad prompam, non ad victoriam pugnare.

DISC. Putabam hoc argumenti eſſe adamas, video paleam. Quòd ſi reliquas rationes ſpiritu quaſi vno difflaueris, ego quidem nouæ doctrinæ, ad libellam non benè examinatæ, nunquàm poſtea credidero. Sed vide, quæſo, alteram vim, 7.
ſi tamẽ in palea poſſet eſſe vis. Poteſt homo ſine calidi fotu, ætatem exigere, ſine

 frigi-

frigido alimẽto non poteſt. Nã potus minimùm frigidus eſſe debet: immò calidus omninò eſſe nõ poteſt. Quarè ſi calor coqueret, potus coctioni officit, quia calori frigus aduerſatur maximè. Inſanus certè vix ſibi pſuaſerit, naturã poſſe & velle carere fotu calido ſibi cõgruentiſſimo, nolle nec poſſe carere potu frigido, caloris peſte, ſi qua aliqua, tabequè peſſima.

Præc. Cibus dupliciter dicitur calidus, actu, poteſtate. Actu calidum nullũ puta à natura, ſed à vi caloris externa, qui tactus ſtatim calefacit: Calidũ poteſtate intellige, natura talẽ, qui preſſus calfacit. Non enim aut penitùs, aut priùs exerit ſuã vim, quàm preſſus & quaſi patiens. Iam hominem poſſe, totã ætatẽ, carere cibo poteſtate calido, contrà morem eſt, contrà rationem, contrà Galenũ, mos notus barbaris, rationẽ, & Galenũ, ipſe Galenus exprimit, his verbis. *Omne animal conueniẽti ſibi nutritur alimẽto: conueniens autem cuiq; animali eſt, quicqd aſſimilari corpori, quod nutritur, poteſt. Oportet igitutr toti nutriẽtis ſubſtãtiæ cum tota nu-*

ta nutriti natura communio aliqua similitudoq́, sit prorsùs, cibi aũt, qui vti aßimilentur, & corpus nutriant, spatio egent, ij frigus vniuersi potiùs, quàm calorẽ afferre in præsenti videntur: cæterùm calefaciunt hi quoq́, tandem, non secus ac reliq; cibi, si semel vt corpus nutriãt, sint consequuti. Et paulò post. *Omne* (inquit) *nutrimentum, quatenus nutrimentũ est, animalis calorẽ auget.* Claram hic habes Galeni sententiam, præclara sanè ratione firmatã. Nolo mihi obijcias, lactucã, portulacã, alios cibos actu potestateq́; frigidos, illos, scilicet, partim alentes, partim medicãtes. Frigerant quidẽ hi, sed dum coquũtur: at cocti iam, & in sanguinẽ versi calfaciũt. Frigida calfaciũt? Non ipsa in se, sed facta alia, scilicet, sanguis & spiritus. Si id tantùm premas, sine cibis actu calidis posse degi vitã, cõcedo quidẽ, de vita anni vnius aut alterius, non cõcedo de vita ętatis. Nã frigida actu perpetuò sumpta, vereor, ne vẽtriculi vim interiorẽ & debilitarent, & sensim exhaurirent. Quòd contendis potũ nec debere, nec posse esse calidũ, hic certè non

solùm

ſolùm perdis cauſam, ſed & prodis inſci-
tiam tuam. Iaponij te refellunt, perpetuo aquæ calidæ potu, vigentes, dum calidè bibunt, languentes, dum frigidè. Nequè hoc legimus tantùm in Petri Maffei Indicis hiſtorijs, ſed vidimus, & ſtupuimus Europæi, Romæ, reges Iaponios, æſtate, hyeme, è calida ſemper aqua non labellatim guſtantes, ſed bucca plena haurientes. Magna facti ratio ab illis eſt, quòd viuant, vigeantquè diutius, firmius, quàm nos qui frigidè bibimus. Nequè facto tantùm pro ſe contendunt, ſed etiam rationibus, cõtrà nos. Frigida (inquiunt) comprimunt fibras, irritant tuſſim, & pectoris vitia, reſtinguunt natiuos ignes: feruida, fouent calorem inſitum, laxantquè meatus, & eò faciliùs ſitim leuant, &c. Sed ſit, quod dicis, potus neceſſariò frigidus. Quid ad nos? Si ſubiecerimus, id intelligendum, de potu actu frigido, poteſtate calido, videbis tui dicti ludum potius, quàm verum ictum. Potulenta, quibus vtimur, omnia, vinum, ceruiſia, pometum, melicratum,
& An-

& Anglorum Alla, ſunt poteſtate calida, hęc magis, illa minus, quamuis prima occurſatione refrigerent. Sed, quod hoſti nollem, tibi largior, potum debere eſſe ipſiſſimam aquam, non ſolum actu, ſed etiam poteſtate frigidam, non tamen victas vinctaſquè manùs tollo. Quicquid enim eſt ex aqua gelida vitij, id ventriculum non offendet, ſi bona ſit, & tempeſtiuè ſumatur. Tempeſtiuè dico, in ſiti, quæ, Galeno teſte, partim vrget, ob humoris inopiam, partim vrit, ob caloris copiam. Inopia humoris eſt, ex cibis calidis & ſiccis, qui certè in ordinem rediguntur aquæ frigidæ infuſu. Caloris dein copiam, quæcunquè demùm illa eſt, & ex quacunquè re, aquæ gelidæ, vel minui hauſtu, vel temperari vi, vident, qui in natura quicquã vident. Explicauimus commodum aquæ tempeſtiuè hauſtæ. Requiſiuimus etiam bonam, leuem, ſcilicet, & tenuem, vt quæ citò frigeſit & caleſit, faciliusq; à ventriculi calore patitur, quàm in ipſum agit. Ita Hyppo. ſect. 5. Aph.

Aph. 26. Age verò, in hoc ſole cæcutis?

Disc. Cæcus ſim, ſi hìc cæcutiam, ita
8. omnia obuia, & poſita in medio: ſed quid cenſes de hac dubitatione? Vix videtur in ſani mentem cadere, naturam vel (vt dicam aptius) naturę parentem deum, effectui organum, aut calido frigidum, aut frigido calidum præfinijſſe, & nouè dicimus, ſi dicamus, & ineptè ſentimus, ſi ita ſentiamus. Nam deus, qua eſt prouidentia, & poteſt & vult, efficere, vt effectis organa congruant, aptèquè ad vſum reſpōdeant. Si ergò coctio eſſet à calore, eſſet diuinæ ptouidentiæ, ventriculum finxiſſe calidum. Sed ventriculum probo frigidum, quià exanguem & limoſum. Si igitur fieri vis coctionē à calore, haud ſanè naturaliter eā ſtatues fieri in frigido loco.

Præc. De ventriculo frigido, erras, toto (quod aiunt) cœlo. Quod concedis reliquis partibus, cur neges ventriculo, calere? Si coniecturam hanc dicas, vide rationem ex medio ventriculo petitam. Principia ventriculi ſunt ſemē & ſanguis:

Prin-

Principia dico, quia ex ſemine, fila quædam, texturæ inter ſe ſpecie conſerta, naſcuntur, quorum poſtea, ſanguinis interiectu, ſpatia opplentur. Vbiquè calor, in ſemine, in ſanguine. De ſanguine nulli dubium. De ſemine ſic Ariſtoteles. *Semen copioſum in ſe continet calorem, qui igneus non eſt, ſed ſpiritus, cuius natura proportione reſpondet elemento ſtellarum.*

DISC. Negas igitur, cum vulgo medicorum, ventriculum eſſe frigidum? Ratio contra te eſt. Nam conſtat membranis, frigidis ſanè, ſi medici quid in hoc genere ſapiunt.

PRÆC. Tunicas, ex quibus ventriculus eſt aptus, rectè dicis membranas, non nudas tamen, ſed carneas: ſic enim medicorum principes affirmant. Conſtans eſt Galeni ſententia, in compoſitis corporis partibus, quarum actio eſt propria, eſſe partem aliquam ſimplicem, actionis, quæ à compoſita parte exit, cauſam, cui in corpore nulla ſit ſimilis: ſed ventriculus, eſt pars compoſita, actionē habēs pro-

priam,

priam, cuius causa est ipsius substãtia, quæ ex illis tunicis conficitur, ergò nõ erit simplex membrana. Pone, quæso, membranam nudam, pones certè vnâ in corpore multas partes ei similes. Maneat ergò membrana illa, quam dixi, carnea, calida, scilicet, & humida, calidam affirmat Galenus, cum dicit, *propriam, ventriculi, intestinorum, & vesicæ vtriusquè carnem, esse cute calidiorem*. Humidã indicat, illius & mollities, & vsus, quia est status elixationi quę, vt suprà probauimus, nisi in humido, non fit. Ineptè ergò tu, qui deum huic controuersiæ interseris, eiusquè, hac viâ, prouidentiam vocas in controuersiam. Satis tibi, deum finxisse, nequè eget te, aut consiliario, aut disceptatore. Optimum est, quia fecit, nec tamen, quod probaui, fecit præter ordinem, præter rationem, præter proportionem, quę si tu non perspexeris, vitium est tuæ tarditatis, nõ diuinæ compaginationis.

Lib. 2. de tẽp. cap. 30.

Disc. Etsi videar è tuis verbis, elicuisse veritatem: fumus tamen nescio quis ex altera

altera ratione obortus, veritatis flãmam non totam ſinit aperiri. Eccum tibi hunc 9.
fumũ. Citius decuplo concoquitur, quod eſt humidum & aqueum, quàm quod ſolidum & ſiccum: cum econtrà, ſi coctio eſſet à calore, fieri & decuit, & debuit. Magis ſiquidem calori infenſa & infeſta eſt, vis humida & aquea, quàm ſolida & ſicca.

PRÆC. Hauris ex Hyppocrate, ſed aquam ſanè nõ puram. *Facilius* (inquit ille) *eſt, impleri potu, quàm cibo.* Cur verò? Adferũt pleriquè verba tua, ſcilicet, quòd liquida citiùs quàm ſolida coquantur, ac in ſubſtantiam aliti vertantur, ſed nõ tuo ſenſu. Nam liquida intelligunt, vina craſſa, iuſcula, ſuccos expreſſos, & huius generis materiam, liquentiorem quidem illam, & corpori nutriendo aptiorem. Signatè dico, liquentiorem, non aqueam. Nam aqua non nutrit, ſed ducendis per viarum anguſtias cibis inſeruit. De aqua igitur tace, aut dic, vndè iſtud hauris? Certè nec ex Hyppocratis, nec Galeni, nec rationis fonte: Iſti enim illud intelligunt, de humidis alimẽtis, non de aquis humẽ-

 tibus,

tibus,quæ nihil faciunt ad nutritionem. Quòd verò ſumis, humidam hanc vim (alentem ſemper intelligo,non aqueam) infenſiorē & infeſtiorem eſſe calori,ideoquè, ſi coctio ſit caloris,difficiliùs debere à calore vinci,quàm ſolidam & ſiccam,oratio mihi videtur ruſtici, nō philoſophi. Nam qui philoſophiam primis labris deguſtarunt,nôrunt,actionem faciliorē eſſe,inter ſymbola,quàm aſymbola. At,vis humida magis eſt ſymbola ſiue agnata calori,quàm ſolida,caloris enim naturam ſupra terminauimus humido. Sed fruſtrâ tibi obijcio philoſophiā ,& philoſophiæ axioma,non valdè, quantum video, verſato in his ſpatijs. Ex experientia promā, quæ ruſticos docet,res tenues & raras , faciliùs actionē caloris ſuſcipere, quàm craſſas & denſas.

Disc. Video verum hìc fumum , ſed explica mihi,in iſta oratione,quid caligi-
10 nis,aut lucis. Aſtaci,cancri, gambares , oſtreæ,cōchylia reliqua(piſces taceo)nullo calore,aut caloris ſpecie,res concoquunt, quas homo , calore ſummo , non poſ-

ſit aut ſoleat. Coctio ergò nõ eſt à calore.

PRÆC. Piſces deſtitui omni calore, ſomnium eſt profectò tuum, non veritatis oraculum. Fernelium audi, quo nemo apud nos, aut dicit puriùs, aut (ſi diſceſſeris ab opinionũ nouitate) ſentit pręclariùs, pronunciantem in hæc verba. *Hoc* (intellige, calore) *viuunt ſerpentes, quos tamen frigidos cõmemorant: hoc viuit papauer, mandragora. Itaquè non perfectiora tantùm animalia, ſed & muſcæ, & vermes, & vniuerſum inſectorũ genus, quinetiam, oſtreæ, & conchylia, & ſpongiæ, & quæ inter frutices & animalia ambigunt (Zoophyta Græcis appellantur, plantanimes à quibuſdam dici cœperũt) calore hoc perfunduntur.* Ariſtoteles præiuit hanc viam. *Omne* (inquit) *quod viuit, calidum eſt, & humidum (vita enim calido & humido continetur) frigidum verò & ſiccum, quod moritur.* At quid ad Auicennam, qui, piſces vniuersè omnes, vult eſſe frigidos? Et ego quoquè volo cum illo piſces frigidos, non abſolutè, ſed comparatè, non poſitiuè, ſed priuatiuè. Comparatè dico frigidos, collatos cum ſanguineis, priuatiuè frigidos, quaſi non

plenè calidos. Quod verò sumis, conchylia, &, quæ suprà comprehendisti, alia, cõquoquere res, quas nemo hominum potest, melius dixisses, quas nemo hominũ vult. Potest fortasse homo, æquè ac conchylia, illas res concoquere: sed auersatur illas, partim venenatas, partim fœdas, partim palato humano non satis congruentes. Deindè, non quidlibet ex quolibet alitur, sed ex eo quodlibet, ex quo gignitur, vermes ex cæno, conchylia ex saliuario lentore, ostreæ, ex putri limo aut spuma, reliqua ex reliquis agnatis cibis. Imperitè igitur tribuis calori, quod est alterius rei vitium. Homo enim non abstinet ab illis rebus, quasi non possent cõcoqui, sed quòd cõcoctæ, succi, vel prauitate, vel venenositate, hominem inficiant & conficiant. Hactenùs, ex materia concoquenda, ostendimus, nihil in tua oratione esse firmitatis, at maiorem iam colligo cõtrà te vim, ex calore concoquente, sic, vt si detur tibi, has res non posse concoqui ab homine, nihilo sis securior, cum istud nõ posse, oriatur, nõ à defectu simpliciter ca-

loris,

loris, ſed à defectu talis caloris. Alius calor columbæ, alius ſtruthioni, alius conchylibus, alius homini, aliis rebus alius: vnde fit, vt cibos alios alia res coquat, ferrum ſtruthio, columba lapidem, conchylia limum, homo gallinam, ſuum quæquè res cibum, pro caloris ſui modo aut modulo, duriorem aut molliorem. Concilio verbo meo authoritatem, ex verbis doctiſſimi Rubei, nè me putes ſolum ſic ſapere. *Calor* (inquit ille) *innatus, non eſt vnius rationis, in omnibus ſpeciebus, facit namq; in columbis, quod nõ in ſtruthiocamelis. In ſtruthiocamelis, ferrum coquit, quod nõ in coturnicibus, quæ tamen veratrum, ſeu ſturni cicutam, optimè in alimẽtum vertunt. Satiſquè compertum eſt, anates, quæ in paludibus & ſtagnis viuunt, bufones aquaticos deuorare, & iiſdem nutriri, vt ciconiæ venenoſis & mortiferis ſerpentibus, & gallinæ interdũ ſcorpionibus, ſerpentibus, araneis, & huiuſmodi animalibus, quæ cum nõ poſſit calor humanus vincere, ſuperatur, vt quaſi venenum fiant, vniuerſaquè corporis noſtri membra in venenatam naturam vertantur. Stella quoquè, marinus piſcis, cochleas integras*

deuorat & comminuit. Refert enim Rondeletius, dissecuisse se vnam, apud Magalonam, in cuius ventre quinq; cochleas inuenit, tres integras, duas iam cum suis testis confectas, nec tamen pede maior erat. Plinius etiam autor est, si auro liquescenti gallinarũ membra misceantur, consumi, earum tamen nos carne vesci & nutriri poterimus. Adhæc, Auerroes asserit, aurũ si struthionibus esui pbeatur, statimq; è stomacho extrahatur, diminutum admodùm reperiri, cum tamẽ ab igne difficilè patiatur. Id autẽ dici non potest fieri, quòd sit validior struthionis caliditas, ea, quæ in igne est, verùm ab ipsa caliditatis natura, & tota calidi substantia. Quam ob rem id quod diximus, satis patet: calorem innatum, non vnius rationis in omnibus speciebus esse. Hęc Rubeus: quibus nihil possct dici, aut ad hanc rem explicandã aptius, aut ad nostram sententiã confirmandam accommodatius.

11. DISC. Anteuertisti me, & orationem meam quasi intercepisti. Volebã quidem ex te sciscitari, quid causæ est, (si calori coctio tribuenda sit) cur animalia grandiora & calidiora non possent conficere id, quod

quod conficiunt & minutiora & frigidiora. Sed quia Rubeus clarè hoc docuit, ego acquiesco. Vide mihi, & excute extremũ hoc argumentum. Omnes non videmus 12.
rationẽ, etsi omnes experiamur, res plurimas posse esse hominibus alimento, quæ tamen sumptæ, vix, ac ne vix quidem possunt in ventriculo coqui. Integros ingerimus, integros egerimus cortices & pediculos fructuum, tunicas & membranas carnium, cartilagines earum & colligationes, ouorũ ad duritiem coctorum albumina, & id genus alia. Si causam quæram, respondebis fortasse tu, tenuiorem esse calorem insitum, quàm vt res tam frigidas possit coquere. Non satis profectò commodè, nam calor ventriculi res multò frigidiores coquit, lactucam, endiuiam, cichoream.

PRÆC. Si causam quæras, cur illa non coquantur, respondebo, non quod tu auguraris, frigiditatẽ ventriculi, sed rerum, quas dixisti, vel duritiem vel asperitatem vel insolentiam. Vt rem planè intelligas, perpende mecũ plurimas causas non cõ-

coquendi, cum tu ſic ratiocineris, quaſi ſola cibi non coquendi ratio, eſſet debilior ventriculi caliditas. Perpēde primùm de duritie rei coquendæ. Hanc impedire coctionem, argumento eſt, quòd teneriora & molliora arborũ germina, oſſa, colligationes, cartilagines animalium, aliaquè id genus, quibus ſiccitas non induxit duritiem, conficimus & concoquimus, quæ tamen, propter ſiccitatē durata, frangunt prius, quàm franguntur, & exeunt potius integra, quàm naturam aliti ingrediantur. Dura enim non conteruntur & comminũtur facilè. Cōminutio hæc, & quaſi dentium molitio, etſi nō ſit princeps coctionis cauſa, facit tamen ad coctionem. Siquidē calor in res comminutione iſta iam ſubactas, & faciliùs penetrat, & firmiùs agit. Confirmãt hoc helluones, qui, quòd cibos etiam facillimæ coctionis, integros, & ſubactu dentis non paratos confertim vorent, nihil indè præcerpunt nutritionis, ſed quo habitu eos inijciunt, eodem eijciunt. Perpendiſti duritiem? perpende nunc aſperitatem, Coctio fit, ſi fi-

at; concurrente vi facultatis retentricis, & quodam quasi ventriculi complexu: at vētriculus res asperas nō retinet, sed reijcit, non complectitur, sed omni vi & via refugit, tanquàm sibi aduersas. De insolentia siue non consuetudine, reliquum est, vt subijciam. Consuetudinem nosti alteram naturam, insolentiam verò naturæ quasi nouercā. Vide consuetudinis vim. Ferrum, etsi, tanquàm struthiones non possimꝰ per naturam coquere: possumus tamen per consuetudinē eò peruenire, vt ossa, cornua, resq; alias propiores ferro, quàm humano alimento, facilè nō conficiamꝰ tantùm, sed etiā concoquamus. Insolentiæ eadē ratio. Narrant de Iaponijs, eos refugere nostræ plagæ cibos, alioqui sapidissimos, & coctu facillimos. Quid ita? non assueuerunt. Ad rem. Quæ complexus es, ferè omnia, sunt vel dura, vel aspera, vel insueta. Referes ergò, quòd vix, aut nè vix quidèm coquantur, non ad remissiorem ventriculi calorem, sed ad rerum ipsarum vel duritiem, vel asperitatem, vel insolentiam.

DISC. Dicis quidem hactenùs probè, sed nihil ad ouum nostrum. Aueo tandem scire, cur oua sorbilia & cruda, facillimæ, albumen verò quod in ouo duratur, dtfficillimæ sit coctionis. At Aristoteles alia porrò mente est, qui res siuè elixas, siuè assas, contendit faciliùs coqui, quàm crudas, & ignis impresſionem non expertas.

PRÆC. Nihil faciliùs mihi, quàm de ouo respondere. Quæ nutriunt, ea oportet, & opimitate turgeant, & fluant humiditate. Opimitatem hanc ignis moderatio ab humiditate superflua depurat, purgat, & ad coctionem facit aptiorem. Hæc mens Aristotelis, statuentis subiecta igni facilius concoqui in ventriculo, quàm cruda, ignis enim moderatio purauit illa iam, & parauit. At si ignis fortè vehementior, hanc non solùm humiditatem, sed opimitatem etiam totā exugat, subiectamquè rem cogat densetquè, induitur mox durities, conditio coctioni sanè aduersiſſima. Vndè nemo miretur philosophus, si oua sorbilia, dum semicruda, &

& propter opimitatem inſitam adhuc prona coctioni,facilius coquantur,quàm exucca & denſata in duritiem. Eadem ratio ciborum, ex farina, in cruſtas & diploides intortorum. Sic Cardanus comment. in lib. Hypp. de alimento, lect. 64.

DISC. Rem ita explicaſti, planè vt opiner, ſtatuendum in hanc partem. Tamen,quia tu inſiſtis plerumq; viam peripateticorum, opinator in hanc tantùm partem ero, niſi ſanctè confirmes, quod clarè ediſſeruiſti, id te verè & ex animo ediſſeruiſſe.

PRÆC. Tu profectò Peripateticus non es, qui vis eſſe in re clariſsima opinator. Nam qui in Peripateticis ſunt, probant prius quidem quàm cenſent, ſed tãdèm quod cenſent, conſtanter ſemper defendunt. Ego(vt me intelligas) Peripateticos probo, ſi probè, Improbo verò, ſi dicant contrà rationem. Quarè certò mecum,&contrà Peripateticos ſtatue, reſolutionem & comminutionem, non eſſe formalem (quàm dicunt) coctionis

onis rationem. Neq; hìc me patior vinci, vel à tuo Achille, vel à quoquam in hac palæſtra Hercule. Audiã fortaſſè hìc. Dares Entellum: ſed cauſæ bonitas facilè faciet, ne ſim Dares. Quarè non pugno tantùm pro veteri hac medicorum opinione, ſed quemcumq; nouæ aduerſę ſentẽtiæ propugnatorem elicio, audacterquè prouoco in hanc arenam. Sed de reſolutione numquid eſt reliquum?

Disc. Dicas oro, quid cenſes de humore reſoluente? putasnè rem, an commentum? Si rem putas, vbi putas? Nam vult ſanè hic noſter Achilles, & rem eſſe, & in ventriculo eſſe, Oeſophago, lingua, palato toto: & hunc, quià acrem, reſoluere, quià reſoluit concoquere.

Præc. Ego (vt planè dicam) contrà quàm ille, cenſeo. Nam præter ſaliuam, nullum humorem naturalem agnoſco. Saliuam ſi is fortè velit appellare humorem reſoluentem, vides litem de verbo. Ea tamen neq; acris, neq; in ventriculo eſt. Sedes namq; illi propria os: ſiquidem in ore ſolo ſunt glandulæ, quæ ſaliuam

procreent,

procreent, aut ſi in ventriculo pertinaciter putet gigni, in ventriculo oſtendat illas glandulas. At dixeris fortaſſè tu, pituitam ex ventriculo prorepere in os, diciq; vulgò ſaliuam. Hoc ſi dixeris, eris in vulgò. Nam docti omnes conſentiunt, hanc pituitam nō ſemper in ventriculo gigni, & ſiquando gignatur, id eſſe, non ex naturali ventris habitu, ſed ipſius vitio, quod Græci σιελισμὸν appellant. Defluit tamen cum cibis præmanſis ſaliua in ventriculū, quam, cum calor innatus, vt Auicenna vult, calfecit, vt Iſaac loquitur, digeſsit: admittimus facilè coctionis cauſam, non principem tamen, ſed adiutricem. Hic tamen vſus ſaliuæ eſt aduentitius, proprius verò ille, fauces linguam, palatum madefacere, alioqui parùm, aut ſanè nihil ad reſpirationem, vocem & deglutitionem factura. Quòd autē ſua natura acris non ſit, lingua, guſtus organum, manifeſtè docet. Experimur ipſam tanquam aquam, vbi naturaliter ſe habet, ſapore deſtitutam. Quòd ſi, acris interdùm, acida, & ſalſa videatur, adſciſcit id aliundè,

quicquid

quicquid est saporis, non in se habet. Vide hoc in ieiunantibus, & febre biliosa laborantibus. His amarescunt in ore omnia, propter bilis cum saliua permistionem: illis varius est saliuæ sapor, pro varietate vaporum, qui ex prauitate humorum, in ventriculo nati, mittuntur in os.

DISC. Acutè tu quidem, sed est difficultas. Saliua, ieiuni præsertim, lichenes tollit, & serpentes enecat. Vnde hoc, nisi ex acrimonia saliuæ?

PRÆC. Lichenes non omnes, sed benigniores, non in omni corpore, sed puerili, per saliuam curari, nôrunt mulierculæ. Quid tùm posteà? Erit ergò acris. Nequaquàm. Nam non tam sua acredine, quàm vi quadam concoquendi & discutiendi, hoc ipsum facit, aut si ob acredinem id fieri contendas, non multùm laboro, cùm dederim tibi antea, ieiunantium saliuam, esse acriorem, quàm non ieiunantium, id quod de eorundem vrina, ac bile, docet Galenus. Non tamen sequitur, saliua curat lichenes, ergò facit coctio-

coctionem, nisi fortè dicas, quæ curant lichênes omnia, concoctionem facere. Nequè illud etiam rectè concluseris, acris est, ergò coctionem facit: cum & acetum, & limonum succus, ac multa alia acria & acida appetitum quidem cieant, non autem concoquant. Omnes siquidem medici & Philosophi confirmant, côncoctionem fieri calidis, appetentiam frigidis. Quo fit, vt frigidi quidem ventriculi plus appetant, quàm concoquant, calidi verò plus concoquant, quàm appetant. Ad serpentes quod spectat, interficiuntur illæ à saliua, quia tota ipsius substantia est infestissima bestijs hominem interficientibus. Id quod ex Nicandro poeta citat Galenus.

DISC. Tam clarè dicis, & distinctè, vt quæ in tota hac re, difficultates, tanquam aggeres, se obijciunt: eas ego iam facilè, nulla tua ope remouero. Mel, sal, saccharum, alijs portenta, mihi nunc sunt tricæ meræ, veræ, & (quod dixit Plautus) germanæ gerræ. Quarè gratias, quantas mens mea potest capere maximas,

imas, ago tibi, quòd tenebras, quas vanitas, & nouæ opinionis varietas mihi offuderat, clarissimo orationis tuæ radio discusseris. Sed cum tu vel naturæ conformatione, vel studio, refugias verborũ siuè illecebras, siue nugas, quæ propius ad palpum accedunt, quàm ad notionem mẽtis veram, missas ipsas facio. Litoq; Æsculapio & musis, pro salute bonoq; tuo.

Præc. Lita potius Christo seruatori, & sanctissimæ ipsius matri, de te, de alijs omnibus, qui in huius Academiæ curam incumbunt. Si me in his ponas, ego quidem satis magnum præmium tulero. Id tamen præ me fero, quantulus sum, me totum esse, foreq; eorum, qui sic hæc naturæ adyta vel rimantur, vel mirantur, vt in ijs, non gloriam, sed veritatem, non se, sed Deum quærant. Id quòd cum videam à te spectari maximè, liberè libenterq; me profiteor tuum.

Cum Licentia & Facultate Superiorum.

